



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CXXVII. Vtrum nomen persona significet relationem, an
substantiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

substantia, quæ est hypostasis. Et secundum hoc Augustinus dicit, quod significat essentiam, prout in Deo essentia est, idem cum hypostasi quia in Deo non differt, quod est, & quo est.

Ad secundum dicendum, quod, Quid quandoque querit de natura, quam significat definitio: ut cum queritur, quid est homo? & responderetur, animal rationale mortale. Quandoque vero querit suppositum, ut cum queritur, quid natus in mari? & responderetur, piscis. Et sic querentibus, quid tres? responsum est, tres personæ.

Ad tertium dicendum, quod in intellectu substantiæ indiuiduæ, id est, distinctæ, vel in communicabilis, intelligitur in diuinis relatio, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod diuersa ratio minus communium non facit æquiuocationem in magis communi. Licet enim sit alia propria denotatio equi, & asini, tamen vniuocantur in nomine animalis: quia communis definitio animalis venit vtrique. Vnde non sequitur, quod licet in significatione personæ diuinæ contineatur relatio, non autem in significatione Angelicæ personæ, vel humanæ, quod nomen personæ æquiuocetur. Licet nec etiam dicatur vniuocetur, cum nihil vniuocetur de Deo dici possit, & de creaturis, ut supra ostensum.

Conclusio articuli est. *Persona diuina significat relationem, ut subsistentem: vtrum autem relatio significetur directe, & in recto, an consequenter, & in obliquo, non est tam manifestum apud Doctorem sanctum: eius tamen mentem, & rei veritatem in disputatione elucidamus.*

DISPUTATIO CXXVII.

Vtrum nomen, *Persona*, significet relationem, an substantiam.

Varia Scholasticorum opiniones, cap. 1.

Nomen persona significat formaliter. & directe substantiam; materialiter vero, sed directe relationem, essentiam autem consequenter, cap. 2.

CAPVT I.

Varia Scholasticorum opiniones.

In hac prima opinio est Scoti in primum distincti. 5. quæst. 1. qui probabilius existimat, nomen, *persona*, directe nec significare substantiam, nec relationem, sed negationem solam. Prius sic probat, quia substantia in diuinis singulariter dicitur: persona autem pluraliter: ergo persona non significat substantiam. Posterius sic ostendit. Ad quocumque refertur relatum inferius, refertur etiam superius, & illius esse dicitur; veluti si hoc duplum dicitur huius dimidij; duplum, eodem modo duplum in vniuersum dicitur dimidij duplum. Præterea, si hoc duplum dicitur relatum huius dimidij, sic etiam duplum vniuersæ dicitur relatum dimidij: ergo si, *persona*, significat

eat relationem, relate etiam dicitur ad illum terminum, ad quem refertur relatio ipsa, quam significat: quare sicut dicimus, filius est patris, filius, & est relatum patris: sic etiam dicere possemus, persona filij est persona patris, quod est absurdum: ergo persona non significat relationem. Addit autem Scotus, nomen persona significare negationem directe, sed connotare tria positua: quia vltimum complementum personæ putat esse negationem communicationis, & tanquam vniuocatis, & tanquam patris, quæ negatione res dicitur esse non in alio: de quo plura in tertiam partem S. Thomæ, quæst. 4. artic. 2. dicemus. Tria vero connotata personæ diuinæ, hæc inquit esse. Primum est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sicut quoddam inferius contentum sub illa negatione. Secundum est relatio ipsa paternitatis, filiationis, aut processionis, ratione cuius conuenit personæ illa negatio. Tertium connotatum est essentia diuina quam persona includit.

Verum hæc sententia amplectenda non est: quia sicut in tertiam partem latius ostendemus, persona directe non significat negationem, licet aliquando negatione explicetur. Et quamuis in humanis non sit ita facile assignare modum peculiarem, quo contrahitur natura, ut sit persona in diuinis, tamen manifestus est modus: sunt enim proprietates personales, seu relationes, in quibus numerum personarum agnoscit, & celebrat Ecclesia, non in negationibus: male ergo Scotus putat, directe, & formaliter nomen, *persona*, significare negationem: de quo iterum disputat. 130.

Ex alijs vero, qui censent nomen hoc positum rem significare, non omnes eodem modo de illius significato directe loquuntur. Secunda igitur opinio in ordine est eiusdem Scoti in primum distincti. 27. quæst. 1. & distincti. 15. questione etiam prima, qui affirmat, nomen hoc non significare relationem, nec substantiam, sed quid commune relationi, & substantiæ: dicamus non negationem, sed positum significare, quod ipse Scotus probabile etiam esse censet. Hanc sententiam late impugnat Durandus in primum distincti. 23. quæst. 1. num. 16. ostendens impossibile esse dari aliquid commune absoluto, & relativo, nisi solo nomine: id quod, & nos disputat. 130. cap. 3. obiter probabimus.

Tertia sententia est eiusdem Durandi ibi num. 24. afferentis nomen, *persona*, in diuinis, nec relationem, nec substantiam, nec negationem significare directe, sed denominationem quandam secundæ (ut ipse vocat) intentionis: veluti nomen etiam indiuiduum, quod secundam intentionem significat. Quare autem nomen indiuiduū significet secundam intentionem, nec probat Durandus, nec explicat, sed, ut notum supponit. Hanc sententiam refutauimus infra disput. 130. cap. 2.

Quarta opinio est Caietani in hunc articulum qui censet nomen, *Persona*, in Deo significare formaliter, & directe relationem; materialiter vero, & quasi consequenter, vel non directe substantiam: cuius sententiæ putat esse B. Thom. in hoc eodem articulo; imò censet mutasse illam, quam prius fuerat secutus quæst. 9. de potentia, artic. 4. ubi docuerat, nomen, *Persona*, significare directe substantiam, non directe autem relationem. Suederi autem potest id, quod dicit Caietanus; quia

K

nc-

nomen persona directè significat proprietatem personalem, & connotat, seu non directè significat naturam, quæ contrahitur proprietate: proprietates autem personales in diuinis est relatio; natura vero est substantia: ergo nomen persona directè significat relationem, & connotat substantiam.

4.

Quintò denique Alexand. 1. part. quæst. 36. memb. 2. & Bonauent. in 1. distinct. 25. art. 1. quæst. 1. Gabriel. eadem distinctione quæst. 1. artic. 2. conclus. 1. 2. & 3. & Capreol. quæst. 1. artic. 2. conclus. 2. Marsil. in 1. quæst. 26. artic. 2. & Canariensis supra hunc articulum contra Caietanum è diametro pugnant: dicunt enim nomen, *Persona*, directè significare substantiam; consequenter vero relationem. Ratio huius opinionis est, quia persona definitur. *Individua substantia rationalis natura*, ergo directum significatum huius nominis est individua substantia: quare cum reddatur substantia individua, hoc est, incommunicabilis, relatione, efficitur, ut relatio etiam connotetur nomine personæ in obliquo, tanquam id, quo substantia individua est.

Bonauent.
Gabriel.
Capreolus.
Marsil.
Canar.
Substantiam
denotare
directè do-
cent. Alex.
& alij.

CAPVT II.

Nomen, *Persona*, significat formaliter, & directè substantiam, materialiter vero, sed directè relationem, essentiam autem consequenter.

S. Thom.

S. Anctus Thomas in hoc articulo meminit duarum posteriorum opinionum, quas præcedenti cap. retulimus, & ait, utramque aliquid habere veritatis: quare ipse mediam amplectitur, quæ meo iudicio verissima est; neque eam, quam docuerat quæst. 9. de potentia, vsquam tractauit, asserit igitur nomen, *Persona*, significare directè, & formaliter substantiam; directè etiam, sed materialiter significare relationem: essentiam autem connotare consequenter, & in obliquo. Ut vero hanc opinionem confirmemus, notandum est, duplex esse significatum alicuius nominis: alterum est directum, quod in casu recto explicari solet: alterum est non directum, quod connotari dicitur, & explicatur in casu obliquo: utrumque habemus in definitione personæ: cum enim dicimus; *Est individua substantia*, exprimimus significatum directum: cum vero additur, *Rationalis natura*, non directum significatum denotamus, quod est in obliquo. Rursus bisariam potest aliquid directè significari: tum formaliter, cum explicatur expressè ipso nomine, tum etiam materialiter, cum non exprimitur distinctè, sed conuenitur, ut subiectum, & materiale significati formalis.

5.

Eiusdè nominis potest esse significatum directum, & connotati.

Directum duplex.

Directum, & connotatum significatum personæ.

Ricard. Viñ.

Relatio est directum significatum materiale tamen.

Sicigitur in proposito, nomen, *Persona*, exprimit directè, & distinctè substantiam, non dico essentiam, sed substantiam, hoc est, substantiam, Græce *Hypostasin*, vel ut loquitur Ricardus de sancto Victore quem præcedenti disputat. allegauimus, existentiam; ipsam vero essentiam significat in obliquo seu connotat indirectè: dicitur enim rationalis natura, ut paulò ante notabamus: sed si de directo significato huius nominis materiali tamen loquamur, est relatio ipsa: id enim, quod incommunicabiliter subsistit, est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui relationem significant directè; sed alio modo quam persona: hoc enim nomen non exprimit hypostasin sub nomine relationis, sed sub conceptu substantie, siue hæc sit relatio, siue absolutum. Nam si diuinæ personæ con-

stituerentur proprietatibus absolutis, non significarentur nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti: bene tamen nomine personæ, & hypostasis: & hoc rectè probat ratio Scoti, quam præcedenti capite retulimus. Si enim nomen persona relationem expressè significaret, diceremus personam esse alicuius personam; (Sicut pater alicuius patet dicitur esse, eius nimirum, ad quem refertur, quod est absurdum, ut ibi notauimus; quod quidem ratione probat August. lib. 5. de Trinitate cap. 6. nomen, *Persona*, non ut significare in Deo relationem, intelligit expressè & formaliter, ut explicatum est. Id autem, quod diximus significare voluit S. Thom. in hoc artic. cum dixit personam diuinam significare relationem, non ut relationem, sed ut subsistentem: quia non significat relationem sub expresso conceptu relationis, sed sub conceptu substantie, hoc est, substantie, & hypostasis, quod est directum, & formale significatum: ipsam vero relationem significat materialiter, sed directè, quia illa est, cui conuenit esse hypostasin. Similiter cum in eodem articulo ait, hoc nomen significare essentiam in recto quatenus est idem, quod hypostasis; & relationem in obliquo, quod est quasi non directè, intelligi debet hoc modo: nimirum essentiam sub ratione hypostasis esse directum significatum & formale, ut explicatum est; sed relationem abstractè esse connotatum in obliquo: quia essentia redditur hypostasis incommunicabilis relatione. Cum vero diximus: relationem esse directum significatum nominis, *Persona*, licet materiale, intelligimus in concreto, ut est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Ex dictis sequitur: Primò contra priorem Scoti opinionem nomen, *Persona*, non significare solam negationem formaliter, sed modum subsistendi per se. Secundò contra Durandum, nomen, *Persona*, non significare secundam intentionem: quæ duo locis citatis laus ostendimus. Tertio sequitur deceptum fuisse Caietan. ut aliter, nomen hoc significare formaliter relationem, & materialiter substantiam: cum potius opposito modo hæc duo significet, ut probatum est. Nec eius ratio aliud probat quam relationem significari in concreto directè nomine personæ, non formaliter, sed materialiter; quod non negamus. Quare opinio Alexandri, & aliorum ex parte vera est, ut dixit sanctus Doctor in hoc articulo, in eodè licet, quod docet, directum significatum esse substantiam, non relationem, si de formalitatem, non etiam de materiali significato loquatur, ut explicauimus. Denique contra ea, quæ dicta sunt nihil roboris habet secunda ratio Scoti, quæ probare contendit, non significare nomen illud substantiam: quia substantia non multiplicatur: persona autem multiplicatur in Deo: non enim quævis substantia non multiplicatur in Deo, sed illa, quæ sumitur pro essentia, quæ vero dicitur hypostasis, vel substantia, multiplicatur, sicut persona. Et hæc satis de dictis huius quæst. 19.

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate personarum.

Deinde quæritur de pluralitate personarum.

Et circa hoc quærentur quatuor.

ART.

Vnum sit ponere plures personas in diuinis.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non sit ponere plures personas in diuinis. Persona enim est rationalis nature indiuidua substantia. Si ergo sunt plures personæ in diuinis, sequitur, quod sint plures substantiæ. Quod videtur hæreticum.

2. Præterea. Pluralitas proprietatum absolutarum non facit distinctionem personarum, neque in Deo neque in nobis: multo igitur minus pluralitas relationum. Sed in Deo non est alia pluralitas nisi relationum, vt supra dictum est. Ergo non potest dici, quod in Deo sint plures personæ.

3. Præterea. Boet. dicit de Deo loquens quod hoc verè vnum est in quo nullus est numerus. Sed pluralitas importat numerum. Ergo non sunt plures personæ in diuinis.

4. Præterea. Vbicumque est numerus, ibi est totum, & pars. Si igitur in Deo sit numerus personarum, erit in Deo ponetorium, & partem. Quod simplicitati diuinæ repugnat.

Sed contra est, quod dicit Athanasius. Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Ergo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt plures personæ.

Respondendo dicendum, quod plures esse personas in diuinis sequitur ex præmissis. Ostensum est enim supra, quod hoc nomen, persona, significat in diuinis relationem, vt rem subsistentem in natura diuina. Supra autem habitum est, quod sunt plures relationes reales in diuinis. Vnde sequitur, quod sint plures subsistentes in diuina natura. Et hoc est esse plures personas in diuinis.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia non ponitur in definitione personarum secundum, quod significat essentiam, sed secundum, quod significat suppositum. Quod patet ex hoc, quod additur indiuidua. Ad significandum autem substantiam sic dictam, habent Græci nomen hypostasis. Vnde sicut nos dicimus tres personas, ita ipsi dicunt tres hypostases. Nos autem non consueuimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentia, propter nominis æquiocationem.

Ad secundum dicendum, quod proprietates absolute in diuinis (vt bonitas, & sapientia) non opponuntur ad inuicem: vnde neque realiter distinguuntur. Quamuis ergo eis conueniat subsistere, non tamen sicut plures res subsistentes, vt patet in 1. parte To. II.

quod est esse plures personas: Proprietates autem absolute in rebus creatis non subsistunt, licet realiter adinuicem distinguantur, vt albedo, & dulcedo. Sed proprietates relatiuæ in Deo, & subsistunt, & realiter adinuicem distinguuntur, vt supra dictum est. Vnde pluralitas talium proprietatum sufficit ad pluralitatem personarum in diuinis.

Ad tertium dicendum, quod à Deo propter summam vnitatem, & simplicitatem excluditur omnis pluralitas absolute dictorum, non autem pluralitas relationum, quæ relationes prædicantur de aliquo, vt ad alterum. Et sic compositionem in ipso de quo dicantur non important, vt Boeth. in eodem lib. docet.

Ad quartum dicendum: quod numerus est duplex, scilicet numerus simplex, vel absolutus, vt duo, & tria, & quatuor. Et est numerus, qui est in rebus numeratis, vt duo homines, & duo equi. Si igitur in diuinis accipitur numerus absolute, siue abstractè, nihil prohibet in eo esse totum, & partem. Et sic non est, nisi in acceptione intellectus nostri. Non enim numerus absolutus à rebus numeratis est, nisi intellectu. Si autem accipiamus numerum prout est in rebus numeratis, sic in rebus quidem creatis vnum est pars duorum, & duo trium, vt vnus homo duorum, & duo trium. Et sic non est in Deo: quia tantus est Pater quanta tota Trinitas, vt infra patebit.

Notationes circa articulum.

Conclusio est affirmans, & ex superioribus factis manifesta: expressa est in Symbolo Athanasij, Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.

Conclusio articuli Athanasij.

Sed circa solutionem quarti est difficultas proposita in eodem argumento in hunc modum. Si in Deo est numerus personarum, sequitur in eo esse aliquid maius, & minus, aliquid perfectius, & minus perfectum: esse etiam totum, & partes; hæc enim omnia in quouis numero inueniuntur. Primum, quia in multitudine quacumque maius quid est tota multitudo, quam si detrahas aliquam vnitatem illius. Deinde, quia perfectius, quid est totus numerus, quam aliquid illius. Postremo integer numerus habet rationem totius, & quælibet vnitas rationem partis. At hæc sunt absurda: dicitur enim in Symbolo Athanasij, in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius, aut minus.

Responder S. Thomas hoc pacto. Si numerus, qui est in diuinis accipitur absolute, & abstractè, nihil obstat, quo minus ibi sit totum, & pars; idemque dicit de alijs, quæ inferebamus in argumento; quia hoc modo solum dicitur esse totum, & pars; maius & minus perfectius & minus perfectum ab intellectu; si vero numerus accipitur prout est in ipsis rebus, nihil eorum in numero diuinarum personarum reperitur. Solutio quidem, si rectè expli-

K 2

expli-

explicetur, verissima est, sed primo aspectu non videtur argumento satisfacere: quia si numero abstracto illa tria conveniunt; debent etiam convenire numero in quavis materia contracto: ac proinde numero divinarum personarum: quia quæ conveniunt numero secundum se, conveniunt etiam tali numero, licet non contra. Quæ enim dicuntur de communi, & superiori; dicuntur etiam de inferiori, & singulari.

Maiores, & minus duobus modis dicitur. Gabriel.

Explicatur S. Thom. solutio.

II.

Quare huius rei explicandæ gratia, notandum est, ex Gabriel in 1. distinct. 24. quæst. 2. art. 3. dub. 1. maius, & minus posse bifariam considerari: & secundum quantitatem continuam, & secundum discretam: intelligit autem quantitatem continuam, vel quantitatem, quam dicunt molis, vel esse magis extensum: quantitate vero virtutis, debet esse magis perfectum sua entitate, & esse; atque hoc modo in Trinitate nihil reperitur maius, nihil minus: & hoc significare voluit S. Thomas, cum dixit, tantus est pater, quanta tota Trinitas: hoc est, tam perfectus quantitate continua virtutis, & entitatis. Hoc etiam modo non reperitur in numero Trinitatis totum, & pars: cum tamen in multitudine aliarum rerum totus numerus sit maior, id est, perfectior quantitate quasi continua, quam aliquæ unitates illius; maioris enim perfectionis est ternarius hominum, quam binarius, & plus valet ternarius equorum, quam binarius. Sed, ut aliquid sit maius alio quantitate discreta, non debet esse perfectius; sed satis est, si in una multitudine dicantur esse plures, quam in alia; & ita concedimus in Trinitate maiorem, & minorem numerum, hoc est, plures, & pauciores virtutes, plures enim sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quam Pater, & Filius. Nec quidquam contra hanc doctrinam docuit S. Thomas imò eam paucis indicavit, cum dixit in numero ipso abstracto dari maius & minus; non tamen in numero personis divinis contracto; ac si diceret, in perfectione ipsarum personarum non datur maius & minus; hoc enim attenditur penes quantitatem continuam virtutis & perfectionis; datur tamen maius, & minus in numero abstracto, hoc est, penes rationem numeri discreti, non habita ratione perfectionis personarum in se est maior, & minor numerus; quod quidem verum est. Ergo numerum abstractum intelligit Sanctus Doctor, rationem solum discretæ quantitatis, & multitudinis in quavis etiam materia. Hoc pacto invenitur totum, & pars in Trinitate, hoc est, totus numerus, & partes illius; nempe singule unitates inveniuntur etiam maius, & minus; perfectius, & minus perfectum; quia maior numerus, & perfectior numerus est ternarius, quam binarius personarum in ratione multitudinis, & discretæ quantitatis.

Homine maioris, & minoris non sine addito videndum in Trin. 7. 10.

Sed observandum est, hæc nomina, *Maiores, & minus*, non esse Trinitati accommodanda sine additamento, quia communi modo loquendi denotant maiorem, & minorem perfectionem in quantitate continua: ideoque Athanasius in Symbolo dixit. In hac Trinitate nihil maius, aut minus, quare necesse erit dicere cum additamento hoc modo, in Deo est maior, & minor numerus. Idem de toto, & partibus, de perfectiori, & minus perfecto asserendum est. Dicere tamen possumus, plures, &

ARTIC. II.

pauciores personas esse, quia hæc nomina significant magis, & minus in quantitate discreta.

ARTICVLVS II.

Varium in Deo sunt plures personæ, quam tres.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod in Deo sint plures personæ quam tres. Pluralitas enim personarum in divinis est secundum pluralitatem proprietatum relatiuarum, ut dictum est. Sed quatuor sunt relationes in divinis, (ut supra dictum est) scilicet paternitas, filiatio, communis spiratio, & processio. Ergo quatuor personæ sunt in divinis.

2. Præterea. Non plus differt natura a voluntate in Deo, quam natura ab intellectu: sed in divinis est alia persona quæ procedit per modum voluntatis, ut amor & alia, quæ procedit per modum naturæ, ut filius. Ergo est etiam alia, quæ procedit per modum intellectus, ut verbum; & alia, quæ procedit per modum naturæ, ut filius. Et sic iterum sequitur, quod non sunt tantum tres personæ in divinis.

3. Præterea. In rebus creatis, quod excellentius est, plures habet operationes intrinsecas. Sicut homo supra alia animalia habet intelligere, & velle: sed Deus in infinitum excedit omnem creaturam. Ergo non solum est ibi persona procedens per modum voluntatis, & per modum intellectus, sed infinitis alijs modis. Ergo sunt infinitæ personæ in divinis.

4. Præterea. Ex infinita bonitate patris est, quod infinite seipsum communicet producendo personam divinam. Sed etiam in Spiritu sancto est infinita bonitas. Ergo Spiritus sanctus producit divinam personam, & illa aliam, & sic in infinitum.

5. Præterea. Omne, quod continetur sub determinato numero, est mensuratum. Numerus enim mensura quædam est, Sed personæ divinæ sunt immensæ, ut patet per Athanasium. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Non ergo sub numero ternario continentur.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. ultimo, Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, verbum, & Spiritus sanctus. Quærentibus autem, quid tres, respondetur, Tres personæ, ut August. dicit 7. de Trin. Sunt igitur tres personæ tantum in divinis.

Respondeo dicendum, quod secundum præmissa necesse est, ponere tantum tres personas in divinis. Ostensum est enim, quod plures personæ sunt plures relationes subsistentes ab invicem realiter

realiter distinctæ. Realis autem distinctio inter relationes diuinas non est nisi ratione oppositionis relatiuæ. Ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Si quæ autem relationes, oppositæ non sunt, ad eandem personam necesse est eas pertinere. Paternitas ergo, & filiatio (cùm sint oppositæ relationes) ad duas personas ex necessitate pertinent. Paternitas igitur subsistens est persona Patris: & filiatio subsistens est persona filij. Aliæ autem duæ relationes ad neutrum harum oppositorem habent, sed sibi inuicem opponuntur. Impossibile est igitur, quod ambæ vni personæ conueniant. Oportet ergo, quod, vel vna earum conueniat vtrique dictarum personarum: aut, quod vna vni, & alia alij: non autem potest esse, quod processio conueniat patri, & filio, vel alteri eorum: quia sic sequeretur, quod processio intellectus, quæ est generatio in diuinis, secundum, quam accipitur paternitas, & filiatio, prodiret ex processione amoris, secundum, quam accipitur spiratio, & processio, & persona generans, & genita procederent à spirante, quod est contra præmissa. Relinquitur ergo, quod spiratio conueniat, & personæ patris, & personæ filij, utpote nullam habens oppositionem relatiuam, nec ad paternitatem, nec ad filiationem. Et per consequens oportet, quod conueniat processio alteri personæ, quæ dicitur persona Spiritus sancti, quæ per modum amoris procedit, ut supra habitum est. Relinquitur ergo tantum tres personas esse in diuinis, scilicet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

Ad primum ergo dicendum, quod licet sint quatuor relationes in diuinis: tamen vna earum, scilicet, spiratio, non separatur à persona Patris, & Filij, sed conuenit vtrique, & sic licet sit relatio, non tamen dicitur proprietas: quia non conuenit vni tantum personæ: neque relatio personalis, id est, constituens personam. Sed hæc tres relationes, paternitas, filiatio, & processio, dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes. Nam paternitas est persona patris, filiatio persona filij, processio persona Spiritus sancti procedentis.

Ad secundum dicendum, quod id, quod procedit per modum intellectus, ut verbum, procedit secundum rationem similitudinis: sicut etiam id, quod procedit per modum naturæ. Et ideo supra dictum est, quod processio verbi diuini est ipsa generatio per modum naturæ.

Vazquez in 1. partem To. 11.

æ; amor autem in quantum huiusmodi, non procedit, ut similitudo illius, à quo procedit: licet in diuinis amor sit coessentialis in quantum est diuinus. Et ideo processio amoris non dicitur generatio in diuinis.

Ad tertium dicendum, quod homo, cùm sit perfectior alijs animalibus, habet plures operationes intrinsecas, quam alia animalia, quia eius perfectio est per modum compositionis. Vnde in Angelis, qui sunt perfectiores, & simpliciores, sunt pauciores operationes intrinsecæ, quam in homine: quia in eis non est imaginari, sentire, & huiusmodi. Sed in Deo secundum rem non est, nisi vna operatio, quæ est sua essentia. Sed quomodo duæ sint processiones supra ostensum est.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procederet, si Spiritus sanctus haberet aliam numero bonitatem à bonitate patris: oporteret enim, quod sicut pater per suam bonitatem producit personam diuinam: ita, & Spiritus sanctus. Sed vna, & eadem bonitas patris est, & Spiritus sancti. Neque etiam est distinctio, nisi per relationes personarum. Vnde bonitas conuenit Spiritui sancto, quasi habita ab alio: patri autem sicut à quo communicatur alteri. Oppositio autem relationis non permittit, ut cum relatione Spiritus sancti sit relatio principij respectu diuinæ personæ: quia ipse procedit ab alijs personis, quæ in diuinis esse possunt.

Ad quintum dicendum, quod numerus determinatus, si accipiat numerus simplex, qui est tantum in acceptione intellectus, per vnum mensuratur. Si vero accipiat numerus rerum in diuinis personis, sic non competit ibi ratio mensurationis: quia eadem est magnitudo trium personarum, ut infra parebit. Idem autem non mensuratur peridem.

Dubitationes circa articulum.

Conclusio articuli est: In Deo non sunt plures personæ, quam tres. Est de fide primæ Ioannis vltimo: Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, verbum, & Spiritus sanctus. Et colligitur ex omnibus, quæ diximus circa quæst. 27. S. Thomæ.

Sed circa ea, quæ asserit S. Thomas in textu, proponit Caietanus duas dubitationes. Prior est, quia, ut sanctus Doctor colligeret tres esse personas in Deo, probauit, processionem passiuam non conuenire Patri, & Filio simul; eo, quod sequeretur, processionem per voluntatem esse priorem processionem per intellectum prioritate originis: sed non probat, processionem passiuam non conuenire filio solum: quod tamen debet probare. Nam si Filius esset productus per intellectum, & voluntatem simul, posse esse eadem

K 3

per-

persona Filius, & Spiritus sanctus, & ita non essent tres personæ. Responder Caietan. idem omnino sequi absurdum, si dicamus, processionem per voluntatem convenire filio: sic enim necesse est, aut filium prius produci per voluntatem; & ita processio per voluntatem erit prior processione per intellectum: vel filium posterius produci per voluntatem, & hoc est impossibile: quia persona producta per vnam processionem, non potest per aliam denud produci. Sed dices, poterat simul per intellectum, & voluntatem produci: & ita esset eadem persona genita, & procedens. Respondeo, hic supponere S. Thomam, quod dixerat quæst. 27. esse nimirum duas processionem distinctas, alteram per intellectum, alteram per voluntatem: sic autem non potest æquè primo utraque persona produci: nec enim idem produci potest duabus productionibus simul. Quomodo autem processio per voluntatem differat à processione per intellectum, quia illa persona, quæ est per voluntatem, procedit à Patre, & Filio; & quare, si non procederet à Filio, esset eadem processio per voluntatem, & intellectum, ostendimus disputat. 147.

*Obiectio
quædam
dissolvitur.*

14.

*Posterior
Caietani
dubitatio.*

*Et quædam
solutio.*

Posterior dubitatio est: quomodo verum sit, solam oppositionem relativam in Deo esse causam distinctionis personarum: cum processio realiter distinguatur à paternitate, cui non opponitur. Responder Caietan. aliqua dupliciter opponi relative; aut ratione relationis oppositæ, sicut paternitas, & filiatio; aut ratione originis, quando ita se habent duo, ut vnum sit ab alio: sic opponitur processio passiva paternitati, & filiationi: ac si diceret, opponitur ratione adiunctæ relationis, scilicet spirationis activæ, quæ coniungitur filiationi, & paternitati. Quomodo autem hoc satis sit, & utrum, si spiratio activa non coniungeretur paternitati, nihilominus paternitas distingueretur à processione passiva, an non, explicauimus disputat. citata cap. 6.

ARTICVLVS III.

Vtrum termini numerales ponant aliquid in diuinis.

175.
1. d. 14. q. 1.
a. 3. & post.
q. 9. a. 7. &
quodlib. 10.
q. 1. art. 1.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod termini numerales ponant aliquid in diuinis. Vnitas enim diuina est eius essentia. Sed omnis numerus est vnitas repetita. Ergo omnis terminus numeralis in diuinis significat essentiam. Ergo ponit aliquid in Deo.

2. Præterea. Quicquid dicitur de Deo & creaturis, eminentius conuenit Deo quam creaturis. Sed termini numerales in creaturis aliquid ponunt. Ergo multo magis in Deo.

3. Præterea. Si termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, sed inducuntur ad remouendum tantum, ut per pluralitatem remoueat unitas, & per vnitatem pluralitas: sequitur, quod sit circulatio in ratione, confundens intellectum, & nihil certificans: quod est inconueniens. Relinquitur ergo, quod

termini numerales aliquid ponunt in diuinis.

Sed contra est, quod Hylar. dicit in 4. de Trinitate. Sussulit singularitatis ac solitudinis intelligentiam professio confortij, quod est professio pluralitatis. Et Ambros. dicit in lib. de fide. Cum vnum Deum dicimus, vnitas pluralitatem excludit Deorum, non quantitatem in Deo ponimus. Ex quibus videtur, quod huiusmodi nomina sunt inducta in diuinis ad remouendum, non ad ponendum aliquid.

Respondeo dicendum, quod Magister in sententijs ponit, quod termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, sed remouent tantum. Alij vero dicunt contrarium. Ad euidenciam igitur huius considerandum est, quod omnis pluralitas consequitur aliquam diuisionem: est autem duplex diuisio. Vna materialis, quæ fit secundum diuisionem continui, & hanc consequitur numerus, qui est species quantitatis. Vnde talis numerus non est nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem. Alia est diuisio formalis, quæ fit per oppositas, vel diuersas formas. Et hanc diuisionem lequitur multitudo, quæ non est in aliquo genere, sed est de transcendentibus, secundum, quod ens diuiditur per vnum, & multa. Et talem multitudinem solam contingit esse in rebus immaterialibus. Quidam igitur non considerantes nisi multitudinem, quæ est species quantitatis discreta (quia videbant, quod quantitas discreta non habet locum in diuinis) posuerunt, quod termini numerales non ponunt aliquid in Deo, sed remouent tantum. Alij vero eandem multitudinem considerantes dixerunt, quod sicut scientia ponitur in Deo secundum rationem propriam scientiæ, non autem secundum rationem sui generis (quia in Deo nulla est qualitas) ita numerus in Deo ponitur secundum propriam rationem numeri, non autem secundum rationem sui generis, quod est quantitas. Nos autem dicimus, quod termini numerales secundum, quod veniunt in prædicationem diuinam, non sumuntur à numero, qui est species quantitatis: quia sic de Deo non dicerentur nisi metaphoricè, sicut, & alia proprietates corporalium, sicut latitudo, longitudo, & similia. Sed sumuntur à multitudine, secundum, quod est transcendens. Multitudo autem sic accepta hoc modo se habet ad multa, de quibus prædicatur, sicut vnum quod conuertitur

tur cum ente ad ens. Huiusmodi autem vnum (sicut supra dictum est cum de Dei unitate ageretur) non addit aliquid supra ens, nisi negationem diuisionis tantum. Vnum enim significat ens indiuisum. Et ideo de quocunque dicatur vnum, significatur illa res indiuisa: sicut vnum dictum de homine significat naturam, vel substantiam hominis non diuisam. Et eadem ratione, cum dicuntur res multe, multitudo sic accepta significat res illas cum indiuisione circa vnamquamque earum. Numerus autem qui est speciei quantitatis, ponit quoddam accidens additum supra ens, & similiter vnum, quod est principium numeri. Termini ergo numerales significant in diuinis illa de quibus dicuntur, & super hoc nihil addunt nisi negationem, ut dictum est: & quantum ad hoc: veritatem dixit magister in sententijs. Vt cum dicimus, essentia est vna, vnum significat essentiam indiuisam. Cum persona est vna, significat personam indiuisam. Cum dicimus, personae sunt plures, significantur illae personae, & indiuisio circa vnamquamque earum: quia de ratione multitudinis est, quod ex unitatibus consistit.

Ad primum ergo dicendum, quod vnum, cum sit de transcendentibus, est communis quam substantia, & quam relatio: & similiter multitudo. Vnde potest stare in diuinis & pro substantia, & pro relatione, secundum quod competit his quibus adiungitur. Et tamen per huiusmodi nomina supra essentiam vel relationem additur ex eorum significatione propria, negatio quaedam diuisionis, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod multitudo, quae ponit aliquid in rebus creatis, est species quantitatis, quae non transmutatur in diuinam praedicationem, sed tantum multitudo transcendens, quae non addit supra ea, de quibus dicitur, nisi indiuisiorem circa singula. Et talis multitudo dicitur de Deo.

Ad tertium dicendum, quod vnum non est remotum multitudinis, sed diuisionis, quae est prior secundum rationem, quam vnum, vel multitudo. Multitudo autem non remouet unitatem, sed remouet diuisionem circa vnumquodque earum, ex quibus constat multitudo, & haec supra exposita sunt cum de diuina unitate ageretur. Sciendum tamen est quod auctoritates in oppositum inductae non probant sufficienter propositum. Licet enim pluralitas excludatur solitudo, & unitate Deorum pluralitas: non tamen

sequitur quod his nominibus hoc solum significetur. Albedine enim excluditur nigredo, non tamen nomine albedinis significatur sola nigredinis exclusio.

CONCLUSIO articuli est. Termini numerales, qui de Deo dicuntur praeter illa, de quibus dicuntur, nihil aliud, nisi negationem significant. Quae quidem conclusio difficilis admodum est, ideoque sequenti disput. ex professo examinanda.

DISPUTATIO CXXVIII.

Vtrum nomen *Vnitatis* significet posituum aliquid, an solum negationem.

Vnitatem formalem esse solum quandam negationem in ente, putat S. Thomas, & alij. c. 1.

Rationem formalem unitatis, quae est passio entis, esse quid posituum, probabiliter sentiant Alexand. Bonau. & Scot. c. 2.

Respondetur fundamento prioris sententiae, c. 3.

CAPUT I.

Vnitatem formaliter esse solum quandam negationem in ente, putant Sanctus Thomas, & alij.

VT melius examinemus, quae in hoc articulo tradit Sanctus Thomas de terminis numeralibus, vtrum significant aliquid posituum in Deo, an solum negationem, oportet primum disserere de unitate, vtrum supra rationem entis addat rationem aliquam posituiam, an solum negationem, quam sane controuersiam de qua supra quaest. 11. eramus tractaturi, in hunc locum referuauimus. In ea igitur i. sententia est sancti Thomae in hoc articulo, & supra quaest. 11. artic. 1. & 2. Caietani, & recentiorum Thomistarum ibidem, Durandi in primum distinct. 24. q. 1. num. 9. & quaest. 2. num. 11. & sequentibus, Gabrielis eadem distinct. q. 1. ar. 3. dub. 3. Capreoli qu. 1. art. 1. conclus. 3. Gregori. q. 1. art. 1. in principio, & conclus. 3. Henrici, quodlib. 1. qu. 1. litera A. qui affirmant, formalem rationem unitatis esse negationem diuisionis; quare dicunt, idem formaliter esse vnum, atque indiuisum. Id autem non solum ita docent, ut formaliter ratio vnius negatione exprimitur; verum etiam, ut nihil respondeat huic negationi, tanquam materiale significatum, in quo ratio formalis unitatis consistat: sicut vox, incorruptibile, negationem significat expresse, & tamen ei respondet ratio positua, ut materiale significatum, quam melius per negationem significamus.

Probatur haec sententia hoc vnico argumento. Quacunque ratione positua remota ab ente, etiam per intellectum, ens semper remanet vnum, ergo nullo posituo constituitur in ratione vnius, nihil autem aliud superest, quam negatio, ergo unitas in negatione consistit. Ceterum obseruandum est, sanctum Thom. solum loqui de unitate, quam vocant entitatuam, & quae solet constitui passio entis, & in quauis re mundi reperitur. Nam si de unitate, quae est principium numeri praedicamentalis sermo sit, putat ille unitatem addere supra substantiam aliquam rationem posituiam, esse videlicet principium numeri. Docet e-

Vnitatem formaliter esse negationem diuisionis, ut putant non pauci.

2. Rar. huius sententia.

S. Tho. solū loquitur de unitate entitatuam.